

Exorcismus III.

Exorcizo te N. creaturam Dei afflictam, per potentiam Dei Patris † per sapientiam Dei Filij † per clementiam Spiritus sancti † per Deum Trinum in personis, & vnum in essentia, Deum viuum, & verum, vt ab omnibus spurcitiis dæmonum, facturis, ligaturis, signaturis, & incantationibus, sis sana, & libera, per eum, in cuius nomine es baptizata. Accipe Spiritus Sancti gratiam, per Regem Regum, & per Dominum Dominantium, cui honor & imperium est in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

Deus, qui facturæ tuæ semper pio dominaris affectu, inclina quæsumus aurem tuam supplicationibus nostris, & creaturam tuam diabolica infirmitate laborantem placatus respice, & visita in salutari tuo, cælestisque gratiæ præsta medicinam, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ergo maledicte Diabole, &c. Vt supra.

Benedicat infirmum.

Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: ostendat faciem suam tibi, & misereatur tui, conuertat vultum suum ad te, & det tibi pacem, Dominus benedicat te N. Amen: Dominus Iesus Christus apud te sit † vt te defendat, Intra te sit † vt te conseruet: Ante te sit † vt te deducat: Post te sit † vt te custodiat. Super te sit † vt te benedicat. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto in Trinitate perfecta viuuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Aspergatur infirmus aqua benedicta in fine cuiuslibet exorcismi. Deinde.

Per hanc aquam benedictam, omnis spiritus immundus, & occurfus Sathanæ separentur à te, & fugiat à nobis in nomine Patris † & Filij † & Spiritus † Sancti. Amen.

Exorcismus IV. Daemonibus.

Præcipio ex parte sanctissimæ Trinitatis Patris † & Filij † & Spiritus † Sancti per merita sanctissimæ Passionis D.N. Iesu Christi. Per merita B.V.M. Beatorum. SS. NN. & omnium Sanctorum & sanctarum qui sunt in Paradiso, quod si fuit datum aliquid per maleficium ad comedendum, vel bibendum,

H

dum,